



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCXXII. De Apostasia IV. & vindicta ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CCXXI.

De

*Traditione, in qua centum Christiani
 interfecti fuerunt.*

Anno Domini MCCLXXXV. quidam Scalovvita dictus (a) Girdilo, qui magnæ reputationis quondam ante conversionem suam fuerat inter suos, jactavit se, quod grandius posset facere facta contra Lethovvinos, si centum viros in armis haberet. Quos cum fratres ei ordinassent, exiit cum eis versus Castrum Othekaym, & sicut iste traditor præordinaverat, viri de dicto castro congregati irruerunt in eos improvise, & omnes præter paucos, qui effugerant, occiderunt.

ANIMADVERSIO.

(a) Girdilonem hunc Kojalovvicius dicit in Lithvania magnis Magistratibus functum, postea Religionis causa in Prussiam transgressum esse *loc. cit.*

CAP. CCXXII.

De

Apostasia IV. & vindicta ejus.

Anno Domini MCCLXXXVI. Fr. Th. Advocatus Sambiensis poterat cum Job dicere: quod verebar accidit, quia Barthenfes, qui nuper gratiæ fratrum fuerant restituti & Pogesani & cæteri de Pruschia, volentes secundum solitum malitiæ suæ consuetudinem,

Anno MCCLXXXVI. Conradus Sacerdos de Almania transit ad terram Lethovia ad convertendum gentes ibidem, qui cum moram fecisset per duos annos ibi, Lethovini ipsum interfecerunt. In loco autem ubi

ite-

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg Junior XII. Mag. Prov. in Prussia.*

iterum fratribus rebellare; Confœderationem fecerunt cum quibusdam de Pruschia, quorum detestabile factum benè hæc meruit, quod eorum nomina in publicam redigerentur formam; sed propter status ipsorum reverentiam est omissum. Convenerunt itaque sub his pactis ut Principem (a) Ruyanorum cum valido exercitu, invitarent & ejectis fratribus de terra Pruschia ipsum Regem & Dominum suum constituerent. Quod factum detestabile in ædificatione castri Raganite (b) detectum fuit, & quilibet de Bartha & Pogesania hujus nefandæ conspirationis recepit mercedem debitam pro labore.

ANIMADVERSIONES

AD CAP. CCXXVII.

- (a) Rugia Insula in Mari Baltico habuit olim proprios Principes ex Slavico genere oriundos.
(b) Conspiratio illa Pruthenorum in ipsa herba extincta est.
(c) Scilicet noctu, ut addit Jeroschinus. fol. 170. b. col. 1.

CAP. CCXXIII.

De

*Latrunculis qui LXX. regulos terræ
Lethovia occiderunt.*

HOC tempore quidam Lethovinus dictus Peluse offensus à Domino suo quodam regulo qui quasi secundus fuit post Regem Lethovianorum in regno suo, cessit ad fratres in terram Sambia, & ad petitionem suam Commendator de Kunnigsberg dedit ei Martinum de Gollin, Conradum (b) dictum Diabolum, & quendam dictum Stövemehl (c) & alios viros audaces XX. qui

in